



Nr. 24.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR,  
**IOAN. FRIDEMANNVS  
SCHNEIDERVS,**

I. V. DOCTOR, POT. REG. BOR. CONSILIARIUS  
AVLICVS, ET LOG. METAPH. AC ETH. ORDINARIUS, NEG  
NON IVRIAM EXTRAORDINARIUS PRO-

FESSION,

VNA CVM

**DIRECTORE, CANCELLARIO**

ET

PROFESSORIBVS RELIQVIS,  
CIVIBVS ACADEMICIS

PIAM

**NATALIVM CHRISTI**  
CELEBRATIONEM,

& in ea speciatim

bw.

Meditationem in *septem* illos claritatis gra-  
dus, quibus mysterium nativitatis Christi, temporis progressu,  
subinde evidentius est patefactum,  
commendat.





## Romissionum V. T.

omnium facile princeps est illa de MESSIA, in salutem uniuersi generis humani *nascituro*. Hæc vero vix curatius considerari potest, quam si diuersi isti obseruentur gradus, per quos revelatione de anno hoc salutis mysterio usque ad ipsum euangelicæ huius prædictionis euentum adscendit, luce subinde maiore de eodem sic accensa diffusaque. Gradus autem merito obseruamus *septem*, vii momentorum diuersitate, ita etiam certis temporum periodis, distinctos ac valde notabiles.

Primus promissionis salutiferæ gradus, ac reliquorum omnium fundamentum, erat in *proteuangelio*, in ipso paradiſo primis humani generis parentibus lapsis, in amissione salutis restitucionem, promulgato: sed generatim tantum, sine villa gentis, familiæ, temporis ac loci, aliorumque momentorum, mentione adiecta. Cum enim genus humanum in primo adhuc ortu suo confisteret, sufficiebat ejusmodi prædictio, e qua constare poterat, SALVATOREM aliquando oriturum esse, verum hominem ex homine, & simul, vt restitu-

X 2 endæ

endæ salutis esset par, verum Deum, in vna hypostasi,  
h. e. θεονθεωπον. Qualem futurum esse REDEM-  
TOREM, fideles istorum ac insequentium tempo-  
rum esse poterant eo certiores, quo frequentius doctrina  
de PERSONA MESSIAE θεανθρωπη hoc cum  
pondere deinceps fuit repetita atque illustrata.

Cum vero post diluvium omnis humani generis  
propagatio per tres Noachi filios procederet, & inde  
existerent gentes permulta, longe lateque per terra-  
rum orbem dispersæ, ac generatim in Iaphetitas, Cham-  
itas Semitasque distinctæ; necessarium omnino erat,  
vt, quænam e tribus hisce gentium omnium stirpi-  
bus, in posteris suis, singulari nascituri Messiae gratia es-  
set beanda, per nouas prophetias enotesceret. At-  
que ita secundus reuelationis gradus fuit in promissione  
de MESSIA, e Semi, &c, inter filios eius quinque, spe-  
ciatim ex Arphaxadi, & inter huius posteros ex Abra-  
hami, stirpe nascituro: quemadmodum constat e pro-  
missionibus luculentissimis, quibus Deus Abrahamum  
identidem beavit. Et hoc iam tendebat prophetia No-  
achi de Deo Semi ἐνλογητῷ, cum respectu ad Messiam sin-  
gulari, pie celebrando, & de habitatione Iapheti, in ten-  
toriis Semi dilatanda, seu de consortio cum Christi ec-  
clesia, in quam, rupto intergerini parietis septo, Iaphe-  
titæ, per Europam dispergendi & nunc dispersi, addu-  
cendi sint: Gen. IX, 25. seqq.

Cum vero Abrahami prosapia in diuersos se dif-  
funderet ramos, precipue per Isaacum & Ismaelem;  
vt illa Isaaci per Iacobum & Esauum; ne nascituri  
Messiae exspectatio ratione genealogia tam diuersæ  
esset incerta, ac mens fidelium teneretur suspensa, e  
quænam gente, ad Abraham & Isaacum origines suas  
refe-

referente, is esset proditurus : prouida Dei cura  
cauit per solennem foederis formulam, qua Deus jam  
ipfis patriarcharum temporibus haberi ac salutari  
voluit, tanquam *Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi* ;  
quasi dixisset: Ego quidem sum Deus ac Dominus  
omnium per orbem gentium : at ratione Messiae  
nascituri peculiari plane respectu sum ac ero *Deus*  
*Abrahami, non Loti; Isaaci, non Ismaelis; Iacobi, non*  
*Esaui; si quidem non Loti, sed Abrahami; non*  
*Ismaelis, sed Isaaci; non Esaui, sed Iacobi, poste-*  
*ri Messianæ nativitatis gloria erant collustrandi.*

Iam quidem patefactum erat, MESSIAM  
e gente Hebraea esse proditum : Cum vero  
hæc in duodecim tribus esset distincta; noua o-  
pus erat reuelatione de ea *tribu*, quæ ipsum ali-  
quando inter suos singulari cum prærogatiua es-  
set numeratura. Et hæc, tanquam *gradus ter-*  
*tius*, deinceps accessit per prophetiam Iacobi; ut  
pote quæ Gen. XLIX, 8. seq. hanc dignitatem tri-  
bui *Iudeæ* adseruit. Etenim hic negatur, rem  
publicam, voce שָׁבֵך sceptri notatam, & אַיּוֹוְעָאֵב ecclesiasticam, voce פֶּרֶח indicatam, ante sublata-  
tum iri de tribu Iudeæ (quæ inter reductas e captiu-  
itate Babylonica erat præcipua) quam natus fu-  
erit SCHILO, h. e REX MESSIAS, ipsis  
interpretibus Cbaldaicis agnoscensibus. Atque  
ita simul haud obscure significatum est, ipsam  
hanc Iudeæ tribum MESSIAM esse daturum;  
Messiam, qui ideo Apoc. V, v. 5. dicitur  *leo de*  
*tribu Iuda*, locutione hac ex ipso Iacobi oraculo  
desumpta.

Cum vero tribus Iudeæ in permultas diffusa

esset familias, & credentium exspectatio progres-  
su temporis etiam ad certum Iudaicæ tribus genus  
esset adstringenda; tempore Dauidis quartus reue-  
lationis *gradus* datus est in designatione ipsius fa-  
miliæ Dauidice ac regiæ, Messiæ causa amplissima  
gratia a Deo cumulata; quemadmodum etiam  
temporibus insequentibus identidem fuit declara-  
tum. Videantur hic loca illustria 2 Sam. VII, 4.  
seqq. 12. seqq. 1Chron. XVII, 11. seq. Ies. XI, 1. seqq.  
Ier. XXIII, 5, 6. XXXIII, 15, 16. Conf. Psalm.  
LXXVIII, 69. seqq. LXXXIX, 4, 5, 20. seqq.  
CXXXII, 11, 17. &c.

Iam cum de tribu, & certa in ea stirpe, Mes-  
siana liquido satis constaret, etiam designanda erat  
mater Messiæ, & hujus nativitas plane singularis &  
extraordinaria, maiestati τὸ λόγος conueniens, h. e.  
*femina virgo*, stupendo plane ac simul maxime ve-  
nerabili miraculo partum editura, vniuerso generi  
humano salutiferum. Et hæc prophetia post  
nouuum aliquem temporum decursum data est per  
Iesaiam c. VII, 14. & confirmata per Ieremiam c.  
XXXI, 22. Qua ratione simul clarius illustrata est  
emphasis vocis *feminae* in proteuangelio, quando  
MESSIAS vocatur *semen*, seu filius, *feminae*, non  
*maris*. Et hic habemus gradum reuelati huius  
mysterii quintum. Sed neque hic sapientiæ diuinæ,  
in exspectatione Messiæ fidei plerophoriae consu-  
lenti, suffecit. Addidit itaque *sextum*, & huic *se-  
ptimum*: & illum quidem de tempore nascituri Sal-  
vatoris definito; hunc vero de nativitatibus eius loco:  
scilicet iustus temporis articulus, seu illud πλήρωμα τὸ  
χέρος (Gal. IV, 4.) determinatum fuit per LXX.  
hebdo-

hebdomadum, quæ hebdomades annorum fuerunt, periodum, annos 490. confidentem, & inchoandom ab anno regis Persiæ, Artaxerxis Longimani, vigesimo, quo Nehemia obtigit decretum de Hierosolyma plenus instauranda Neh. V, 14. consummatam vero in prædicta Messiaæ excisione violenta: quæ vti natuitatem supponebat; sic redemtionem habitura erat habuitque prætiam, teste luculentissima Danielis prophetia c. IX, 24. seqq. Sic venit Dominus, desiderium illud gentium beatissimum, ad templum suum, domum secundam, ob eius, tanquam antitypi in typo, præsentiam majoris gloriae, quam prima fuerat, cui tamen alias permultum cedebat, futuram Hagg. II, 7. seqq. Mal. III, 1. Et ne certæ exspectationi loci ipius de- esset designatio, etiam hæc accessit in oppidulo Bethlehem expresse notato Mich. V, 2. Sic MESSIAS Dauides proditurus erat ac prodiit ex ipsa Dauidis patria, in qua stirps eius manserat residua, sed ad tenuem fortem redacta. Vnde is dicitur surculus de *trunko acciso Isai* Ies. XI, 1. qui tamen Apoc. V, 5. dicitur *radix* Dauidis, scilicet ipsam Dauidis stirpem portans secundum diuinam naturam; quemadmodum eodem respectu filius Dauidis etiam vocatur dominus eiusdem Psalm. CX. Matth. XXII, 42. seqq.

Quæ prædictiones tam luculentæ, & ad sub- inde maiorem evidentiæ gradum progressæ, cum, testibus noui foederis tabulis, & re ipsa compro- bante, in Saluatore nostro optimo maximo com- plementum euentumque habuerint certissimum; merito nobis gratulamur de præcipuo hoc, eoque  
longe

longe firmissimo religionis christianæ dogmate. Ut  
vero boni huius immentis regdamur maneamusque  
participes, nostrum est, CIVES omnium ordinum  
florentissimi, vt nos gratiae huius salutiferæ, quæ o-  
mnibus illuxit patetquæ, castiganti ac erudienti di-  
sciplinæ submittamus, quam obsequentissime; &  
quidem vt cum effectu seriæ abnegationis in illis  
omnibus, quæ Meflanæ natiuitatis scopo sanctissi-  
mo obstant, & saluti nostræ aduersa sunt; sic cum  
fructu vitæ castæ, iustæ ac piæ, nostra christiani no-  
minis professione dignæ. Relictis itaque tenebra-  
rum operibus, tanquam almæ lucis filii, in luce  
ambulate, in primis per sacras hasce natiuitatis Chri-  
sti ferias. Eas, cum diebus proxime in sequenti-  
bus, tanquam ipsam huius anni clausulam, ita col-  
locate, vt ab istis pendeat faustissimus in nouum  
ingressus, cum exoptato eiusdem progressu, quam  
vberrima Dei gratia cumulando. Commendata  
vobis ante omnia esto publica sacrorum reuerentia,  
& fidelis eorum, quibus acroateria resonabunt,  
ruminatio ipsaque praxis viua; vti in sabbatismo sa-  
cro, eoque priuato, figenda; ita in omnibus vitæ  
actionibus sincere exferenda. P. P. in Acad.  
Frid. in ipsis feriis Christi natalitiis

M DCC XXV.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7



ACADEMIAE FRIDERIC  
PRORECTOR  
IOAN. FRIDEM  
SCHNEIDE  
I. V. DOCTOR, POT. REG. BOR.  
AVLICVS, ET LOG. METAPH. AC ETH.  
NON IVRIVM EXTRAORDINAR  
FESSOR,  
VNA CVM  
DIRECTORE, CANC  
ET  
PROFESSORIBVS RE  
CIVIBVS ACADEM  
PIAM  
NATALIVM CH  
CELEBRATIONE  
& in ea speciatim  
Meditationem in *septem* illo  
dus, quibus mysterium natiuitatis Christi  
subinde euidentius est pate  
commendat.